



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quomodo interpretandum sit Juramentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

officio suo, & eodem non implorato, sed etiam subinde debere, si id expedire æquum videatur, prout sumitur ex *cit. c. nli. §. Sanè h. t.* Cum enim Iudex pro veritate eruenda modis omnibus laborare debeat, consequenter, si aliter veritas haberi non possit, & æquitas hoc permittat, potest etiam per iuramentum eam explorare.

Ad secundum quæstionem *æ.* quod pars litigans ante conclusionem in causa possit, ac debeat petere delationem iuramenti suppletorii, etiam si terminus ad probandum præfixus jam elapsus sit, & nulli testes amplius produci possint, cum in iuramenti talis delatione non sit periculum subornationis, aut perjurii, sicuti posset esse in testium productione: postquam tamen in causa conclusum est, per quam partes omnibus ulterioribus probationibus renuntiant, & os quasi claudi sibi permittunt, nulla quidem à partibus peti potest iuramenti suppletorii delatio, potest tamen hoc Iudex, si æquitas postulare videatur, ex officio deferre etiam in instantia appellationis, quia in ordine ad Iudicem nunquam in causa concluditur.

§. V.

*Quando, & in quibus causis Iudex possit ex officio à partibus exigere iuramentum de dicenda veritate?*

**I**n causis, in quibus periculum animæ aut peccati subest, potest Iudex ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, si adsint præsumptiones aliquæ, exigere iuramentum de veritate dicenda à partibus, cogendo etiam eas, ad id cen-

suris Ecclesiasticis. Ut habetur in *c. Ead. teris 32. h. t.* cum Iudicis sit, inquirere & quantum potest, cogere ad veritatem dicendam.

### SECTIO III.

#### De interpretatione iuramenti.

§. I.

*Quomodo interpretandum sit iuramentum?*

**Q**uoad obligationem suam strictam iud interpretari oportet, quantum materia circa quam versatur, & ius pacti vel promissionis, cui adjectus promiserint, quia ubi de obligatione iuramenti stricta fieri debet interpretatio, iuxta *l. Quidquid 99. ff. de V. O.* Et cum non favor nec reverentia iuramenti tantam extensionem exigant, sanctius servanda si stricta illius sit interpretatio: Et hoc iuramentum generaliter editum ad servanda statuta v. g. extendi non potest, statuta illicita *c. Contingit 1. h. t. in c. Clericus 35. h. t.* neque ad servanda statuta usu non recepta, cum stricta iuramenti facti explicatio ad hæc talia se non extendat.

Debet tamen iuramentum præfixum circa materiam Iuris, vel circa eas, quæ concernunt, intelligi secundum ius communis dispositionem, & ad illud restringi, neque ultra extendi, *Gl. in c. Primum V. Declaramus h. t. in c. Ad nostram 21. h. t.* Cum intentio iurantis alia esse non potuerit, nisi iuris communis observatio.

## §. II.

*Alia quedam Regula traduntur circa interpretationem Iuramenti.*

Generalis & optima regula est, quod Iuramentum bonâ fide præstitum interpretandum sit juxta intentionem jurantis, & ad incognita juranti, vel de quibus verò similiter non cogitavit, neque sub Iuramenti obligatione in se suscipere voluisset, extendendum non sit, juxta *c. Veniens 16. junct. Gloss. V. Præsumpsisset h. 1.* (Cum in tali casu defuerit voluntas, se obligandi ad incognita, vel tam ardua, quæ occasionem jurandi non præbuerunt) quod ipsum etiam probatur ex *c. Quintavallis 27. h. 1. & ex petitione 31. Eodem.*

Soler quidem ordinariè etiam dici, quod Iuramentum fortiatur naturam & conditiones actûs, cui adjungitur, & juxta illas sit intelligendum, cum accessorium sequatur naturam principalis juxta *reg. Jur. 4.2. in 6.* Et sumitur etiam ex *c. Quemadmodum. 25. h. 1.* Sæpè tamen non tam accessorium Iuramentum est confirmans præcisè actum cui adjungitur, sed per se stans, & principaliter obligationem inducens, quo in casu etiam si promissio nulla sit, sua tamen Iuramenti est obligatio, & consequenter non induit naturam actûs, cui adjungitur: nunquam tamen ita explicandum est, ut cum alterius gravi præjudicio seu incommodo obliget, ut colligitur ex *c. 27. h. 1.* quia tale Iuramentum est contra justitiam jus alterius graviter lædens.

## §. III.

*De conditionibus, quæ ipso jure tacitè insunt Iuramento, & plerumq; subintelligenda sunt.*

Quod Iuramento promissario tacitè quædam conditiones generalales insunt, secundum quas obligatio Iuramenti attendenda est ex dictis jam patet, & ex *c. Quemadmodum junct. Gloss. V. Condicio*, ita tamen, ut tales conditiones, quæ suapte naturâ tali Iuramento tacitè insunt, etiam si exprimentur, non faciant Iuramentum conditionatum, & particula *Si pro Quia* accipiatur, prout etiam sumitur ex *c. Significasti 4. junct. Gloss. V. Condizione de elect.* Tales conditiones sunt primò, si potero, quia ad impossibile nemo potest obligari. Secundò, si licitè potero, quia Iuramentum non est vinculum iniquitatis, & quod justè, ac licitè fieri non potest, non dicitur homini possibile. *Can. faciat. 15. junct. Gloss. V. Quod potest causa. 22. q. 2.* Tertio, si Deo placuerit; quia Deo non placent, nisi licita. Quarto, salvo jure, & auctoritate Superioris, quæ in omni Iuramento excepta videtur, cum subditus obligare se non possit in præjudicium auctoritatis Superioris, quominus hic in materia sibi præjudicante Iuramentum irritare possit. *c. Veniens 19. h. 1.* Quintò, nisi is, in cujus gratiam vel utilitatem Iuratum est, obligationem remittat, quia invito, & non acceptanti meam promissionem, aut remittenti (saltem tacitè) obligari non possum, si tamen principaliter tale Iuramentum promissorium non sit factum Deo, quo in casu ex probabili sententia homo, quamvis in gratiam ipsius